

QK. 529, 10

B. M. II

II a
12

Q. D. B. V.

DISPUTATIO CIRCULARIS

De

(1859663)

BIBLIOTHECA,

QVAM

PRÆSIDE

VIRO PRÆNOBILISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO

DAN. GVIL. MOLLERO,

Comite Palatino Cæsareo, Metaph. &
Histor. Prof. Publ. nec non Bibliothecario
longe Celeberrimo, Facult. suæ p. t. Decano
Spectatissimo,

*Dn. Patrono, & studiorum Promotore sine debita gratissimi
animi testificatione nunquam commemorando*

P. P.

STEPHANUS *Bühnlein* /
Norimb.

ad d. 27. Novembr. A. O. R. MDCC.

ALTDORFI,

Typis JODOCI WILHELMI KOHLISII.

12



BIBLIOTHECA

DAM. G. W. MOLLER. O.



STEPHANUS

1617





A. & Q.



DE *Bibliotheca* eò libentiùs quidem verba fecero, quò pleniore non tantum obsequio insigne illud beneficium ab Illustrissimis Academiae hujus Curatoribus, Patronis meis humiliter colendis, *Bibliothecarii* muneris in me collatione, mihi nuper adeo exhibitum, par est demereri, sed etiam quò flagrantiore cupiditate nonnullorum amœnitates Philologicas amantium desiderii, si non ex asse respondere, aliquadantenus tamen assurgere laboro. Tantum autem abest, ut latissime se aperientem hanc materiam, conveniente satis ordine, ac necessaria rerum copia, justo nempe destitutus otio, tractare nunc queam, ut potius commentationis alicujus amplioris & exactioris loco, pauciores duntaxat aliquos, & per saturam quasi congestos paragraphos ventilare cum animo meo constituerim: quam ipsam tamen opellam uti haud inanem prorsus fore mihi persvadeo, ita decenti quoque legentium animos jucunditate permulsuram, satius fuerit sperare, quam certo sibi persvadere.

§. I.

Bibliotheca nomen ex βιβλίων θήκη conflatum, uti natales suos debet Græciæ, ita prima ex illo significatione deducta, Librorum thecam, receptaculum, armarium, loculamentum, atque repositorium innui, est in propatulo. Nimirum βιβλιοθήκη, ajente Voss. in *Etymol. LL. fol. 70. col. 2.* quasi βιβλίων θήκη: unde liquet proprie sic vocari armaria, in quibus sunt libri collocati; quomodo χειροθήκη dicitur, quasi χειρῶν θήκη, ubi manus reponimus. Græca autem vox Latinis in usum venit, quod termino rem ejusmodi librariam in lingua sua commode exprimente carerent.

§. II.

Latinè à quibusdam Bibliotheca vocari solet, nunc substantive & simpliciter *Libraria*, nunc adjective & substantivo addito, *Libraria taberna*; illius quidem exemplo ex *Gell. N. A. lib. 5. c. 4.* producto h. m. Apud Sigillaria forte in *Libraria* ego & Julius Paulus, vir memoria nostra doctissimus, confederamus; istius autem ex *Cicer. I. A. 164. a.* deprompto, verbis hisce: Nisi se sub scalas *tabernæ librariæ* conjecisset. Quamvis autem Latini, judice *Lipso in Syntagm. de Biblioth. cap. 1.* Librariam dicunt, tamen magis est ea voce tabernam capi, in qua venales libri exstant. *Hebr. סְפָרִיָּת סְפָרִים* i. e. collectio librorum, vel *בֵּית סְפָרִים* h. e. domus librorum.

German. Bücherhaus / Bücherey / Bücherschrein / Bücherschatz / Liberey / Bibliothek. Gallic. Libraire, Bibliotheque, Chambre aux Livres. Ital. Bibliotheca. Hispan. Libreria. Angl. A Librarie. Hungar. Könyv tarto hely, i. e. libros servans locus.

§. III.

Per Bibliothecam nunc numerus tantum librorum, nunc generaliter locus, in quo libri asservantur, nunc specialiter armarium, in quo libri ordine dispositi sunt, intelligitur. Ita enim *Festus de verbor. signif.* Bibliothecæ, ait, & apud Græcos, & apud Latinos, tam librorum magnus per se numerus, quam locus ipse, in quo libri collocati sunt, appellatur.

Quam

Quam etiam differentiam à Jctis conservatam esse, videre licet *partim ex l. 12. §. 34. ff. de instructo vel instrumento legato; Instructo autem fundo, & bibliothecam & libros qui illic erant, ut quoties venisset, uteretur, contineri constat: sed si quasi apotheca librorum utebatur, contra erit dicendum: partim ex l. 52. §. 7. ff. de legatis & fidicomm.* Sed si bibliothecam legaverit, utrum armarium solum, vel armaria continebuntur, an vero libri quoque contineantur, quæritur? & eleganter *Nerva* ait, interesse id, quod testator senserit: nam & locum significari bibliothecam eo, aliàs armarium, (sicuti dicimus, eboream bibliothecam emit) aliàs libros, sicuti dicimus, bibliothecam emisse. Quod igitur scribit *Sabinus*, libros bibliothecam non sequi, non per omnia verum est: nam interdum armaria quoque debentur, quæ plerique bibliothecas appellant. Plane si mihi proponas adhzrentia esse membro armaria, vel adfixa, sine dubio non debebuntur, cum ædificii portio sint. Ad quæ verba *Dionys. Gotbolfred. in not.* Quinimo, ait, *hec bibliotheca non tantum est ædificium, in quo libri, sed etiam armarium. Membrum insuper pro cubiculo sumitur heic, & l. 13. §. 1. ff. de manumiss. test.*

§. IV.

Est autem Bibliotheca, latissima in significatione, œconomia omnis generis scriptorum & impressorum librorum, numerorum antiquorum æque ac recentiorum, gemmarum, picturarum, sculpturarum, statuarum, hermarum, tabularum geographicarum, hydrographicarum, anemographicarum, chorographicarum, topographicarum, nauticarum, itinerariarum, chronologicarum, pragmatologicarum, globorum cœlestium & terrestrium, sphærarum armillarium, instrumentorum mathematicorum, chirurgicorum, medicorum, mechanicorum, sceletorum, antiquitatis naturæ & artis rariorum, domesticorum non minus ac exoticorum admirandorum, omniumque earum rerum, quæ quocunque modo studiis & doctrinæ inservire sunt idoneæ, in loco comodo, amplo, inque armaria, loculamenta, cistas, arcas distincto, & contra quaslibet injurias probe munito, ad

DEI glorificationem, scientiarum conservationem, propagationem & augmentationem, Rei æque publicæ ac privatæ institutionem, gubernationem & illustrationem, proximi sublevationem, autorum celebrationem, ab interitu vindicationem, & à blattis defensionem, ordinate, prudenter & diligenter instituta.

§. V.

Bibliothecarum res, inquitente *Lipſio c. l. vetus*, &, niſi fallor, *cum ipſis literis adinventæ*. Nam ſimul ac ſcire & ſapere natum eſt, mox etiam ſcribere: & iſtud eſſe cum fructu non potuit, niſi ut libri adſervarentur & diſponerentur, & ad præſentium & poſteriorum uſum. *Privata* primùm ea cura, & quiſque ſibi ſuiſque ſtruebat: poſtmodum Reges & Dynaſtæ uſurparunt, nec in uſum ſolum, ſed ambitionem aut ſplendorem.

§. VI.

Quantum mihi videtur, *Prima omnium Bibliotheca* cum ipſo ſtatim Mundi cœpit exordio, atque non alium, quam ipſum Mundi librum in ſe continuit, qui Adamo Bibliothecæ fuit vice ampliffimæ pariter ac inſtructiffimæ; *Bibliothecarii* munere ipſo fungente Triuno DEO. Atque ea adhuc hodie exiſtens, neminem à diligentiore ſui inſpectione, ſcrutatione, rimatione & evolutione excludit. Quam etiam ob cauſam Veteres Mundum magni Naturæ libri nomine inſignientes, *tribus* eum conſtare dicebant *paginis, Cælo, Aqua & Terra*, totidemq; literis majoribus, nempe *Aſtris, Piſcibus & cunctis Terreſtribus*. Hodiernos autem quosdam juxta Philoſophos, tot Libri hujus ſunt *paginæ*, quot rerum creatarum ſpecies, totque literæ atque lineæ, ſpecierum quarumlibet quot dotes, facultates, vires & proprietates reperiuntur. Atque iſthæc Bibliotheca in tantum differt ab illa Mundi Bibliotheca, qua frontiſpicium quadruplicis ſui ſpeculi, *Doxtrinalis, Hiſtorialis Naturalis & Moralis Vincentius Bellovacenſis*, inſolenter ne magis an imprudenter, haud facile dici poteſt, exornavit, in quantum cœlum diſtat à terra.

§. VII.

§. VII.

Alter in mundo *Bibliotheca*, *Paradisiaca*, *ἔμφυχος* quidem fuit ante lapsum unico *Adami* & *Eva* *Catechismo* instructa, cui unicum duntaxat præceptum de non comedendis fructibus ex arbore scientiæ boni & mali erat insertum: In reliquis enim mens eorum ita fuit illuminata, ut non opus haberent vel ulteriore institutione, vel majore librorum apparatu. Longe quidem aliter, quam hodie post lapsum, ubi *ἔμφυχος* *bibliotheca* esse dicere quis nequit, nisi qui plures *ἀψύχους* *bibliothecas* in succum quasi sanguinemque converterit.

§. VIII.

Tertia post orbem conditum *Bibliotheca* fuisse fertur *Enochi*, filii *Caini*, nepotis *Adami*, eamque non alia, vel plura etiam, quam XXX. Volumina, è cælo ad ipsum demissa, in se continuisse. Qua de re *Beidavi*, *Arabicus* *Commentator* in *Suratam Alcorani de Maria*, pag. 525. *Enoch* dictus *Edris*, propter multiplex studium: demisit enim ei *Altissimus* XXX. Volumina: Refertur etiam idem primus *Calamographus*, *Astronomiæ* & *Arithmeticiæ* studiosus. At vero *Talmudico-Muhammedanum* hoc esse figmentum, jam pridem ab *Authoribus Christianæ fidei* addictis demonstratum est, idcirco etiam eadem, qua producitur, facilitate, rursus rejicitur.

§. IX.

Quarta Bibliotheca nomen, duabus, si quæ unquam fuissent, *Columnis Sethianis* quin tribui posset, haud adeo foret ambigendum. De iis autem in compendio se res habet h. m. Perhibent *Rabbini*, *Codicem* quendam, supernam sapientiam complectentem, *Adamo* traditum esse à *Deo*, quem quidem *Paradiso* secum efferre conatus sit, sed ereptum divinitus atque in cælum subductum, mox ad flebilem & sæpius iteratam ejus supplicationem, restitutum esse, ea quidem lege ac conditione, ut deinceps ille ab oblivione vindicatus filiis hominum communicaretur: *Sethum* igitur ex patre suo audientem universalem instare omnium rerum interitum, duabus columnis, uni lapideæ, quæ ab aquis, alteri lateritiæ, quæ

quæ ab igne tuta foret, scientiarum & artium in libro illo contentarum principia incidisse. Sed enim quid de commento isthoc habendum sit, & quæ totius hujus fabulæ origo fuerit, ex *Disput. mea de duabus Columnis Setbianis* satis credo dispalescit.

§. X.

Non tam admirationem, quam risum alicui excitaverit illa Bibliotheca, quam è servis maximo pretio coëmtis *Calvisius Sabinus*, Libertinus Romanus, sibi dicitur adornasse: de ea apud *Senecam in epist. 27.* memoriz prodita inveniuntur seqq. notatu certe dignissima: *Calvisius Sabinus* memoria nostra fuit dives, & patrimonium habebat libertini, & ingenium. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, ut illi modò nomen *Vlixis* excideret, modò *Achillis*, modò *Priami*: quos tam bene noverat, quam *pædagogos* nostros novimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperam tribus, quam ille *Trojanos* & *Achivos* persalutabat. Nihilominus eruditus volebat videri. Hanc igitur compendiarum excogitavit: magna summa emit servos, unum qui *Homerum* teneret, alterum qui *Hesiodum*; novem præterea *Lyricis* singulos assignavit. Magno emisse illum non est quod mireris: non invenerat; faciendos locavit: Postquam hæc familia illi comparata est, cœpit convivas suos inquietare. Habebat ad pedes hos, à quibus subinde cum peteret versus, quos referret, sæpe in medio versu excidebat. Svasit illi *Satellius quadratus*, stultorum divitum arrofor, & quod sequitur, arrisor, & quod duobus his adjunctum est, derisor, ut *Grammaticos* haberet analectas. Cum dixisset *Sabinus*, centenis millibus sibi constare singulos servos: *Minoris*, inquit, *totidem scrinia emisses*. Ille tamen in ea opinione erat, ut putaret se scire, quod quisquam in domo sua sciret.

§. XI.

Libros multiplici rerum ac materiarum genere abundantes Bibliothecæ appellationem interdum sustinere, vel solus in testimonium vocatus comprobaverit *Diodorus Siculus*, is enim
Biblio-

Bibliothecam conscribens Historicam sermone Græco, de rebus in eadem egit Ægyptiis, Assyriis, Medicis, Persicis, Punicis, Romanis, &c. Constabat quidem vastum hoc opus primò 40. libris, sed temporum injuria 25. ex iis amissis, 15. duntaxat hodie adhuc supersunt, una cum paucis quibusdam apud Photium & alios quosdam Autores Excerptis. Neque mitius expertus est fatum Apollodorus Atheniensis, Grammaticus ille celeberrimus, ex cujus quippe Bibliotheca de Deorum origine conscripta tres hodie tantum superstites sunt libri, reliquis, quos plures sane fuisse Vossius de Histor. Græc. pag. 133. innuit, & ex Stephano de urbib. in *Asnâs*, librum Apollodori 16^{to} citante apparet, deperditis: De qua Bibliotheca Scaliger in *Elench. Orationis Chronologicae*: Tota, inquit, Bibliotheca Apollodori, opus sane ingeniosissimum & elegantissimum, fabulosa est, non utique, si homines, sed si hominibus attributa considerentur. Quam tamen Bibliothecam Reinesius in *Epist. ad Hofmann. & Rupert. pag. 411.* nec non in *Epist. ad Daum. p. 216.* Sopatro Apameensi tribuere mavult. Conf. Job. Fonsius de *Scriptor. Histor. Philosoph. l. 2. c. 17.*

§. XII.

Nonnunquam multi Autores vel in unum aliquod volumen, vel in plures Tomos congesti, nomen obtinere solent Bibliothecæ: quali quidem modo Bibliothecas Magnam & Maximam veterum Patrum adornatas esse constat: quarum altera titulo radiat seq. *Magna Bibliotheca Veterum Patrum & antiquor. Scriptor. Ecclesiasticor.* primò à Marg. de la Bigne collecta, nunc verò aucta, & in 14. tomos distributa, addito tomo 15. sive supplemento, studio Theologor. Coloniens. Colon. A. 1618. & 1622. in fol. XV. Voll. Altera titulum præfert istum: *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum & antiquorum Scriptor. Ecclesiasticor.* ad editionem Coloniens. exacta, locupletata, & in tomos 27. distributa, curante Phil. Despont, Presbytero. Lugdun. 1677. in fol. XXVII. Voll. Quibus adjungas licet *Bibliothecam Patrum Cisterciensium*, qui seculo S. Bernardi, aut, post ejus obitum, floruerunt, in unum collecta à Fr. Bertrand. Tissier. Bonofonte, An. 1662. & 1669, in fol. Tomi 8. in 3. Voll.

Voll. divisi. Taceo *Bibliothecam Fratrum Polonorum*, quos Unitarios vocant, instructam Operibus Fausti Socini, Joh. Crellii, Jonæ Schlichtingii, & Joh. Ludov. Wolzogenii: Ire-nopoli, A. 1656. fol. X. Voll. Plurium adhuc aliorum Au-torum opera uni Systemati inclusa, atque Bibliotheca no-mine insignita, lubens nunc prætereo,

§. XIII.

Catalogis atque Indicibus sola Auctorum nomina, & librorum ab iis concinnatorum titulos exhibentibus *Bibliotheca* itidem nomen præpositum videas: fidem huic asserto facientibus, ex quamplurimis aliis, quinque tantum libris seqq. I. *Bibliotheca Slusiana*, sive, *Catalogus librorum Joann. Gvalteri Card. Slusii*, digestus à *Franc. Deseine*, Romæ 1690. in 4. II. *Bibliotheca Belgica MSta*, sive, *Elenchus universalis Codi-cum MStorum in Belgio latentium*, ab Anton. Sandero: In-sulis, 1641. & 1644. in 4. III. *Paul. Bolduani Bibliotheca Theo-logicalis*: Jenæ, 1614. in 4. IV. *Ejusd. Bibliotheca Historica*: Li-pfiæ, 1620. in 4. V. *Georg. Matthi. Königii Bibliotheca vetus & nova*: Altdorf, 1678. fol.

§. XIV.

Solet *Bibliotheca* pariter appellatio illis tribui opusculis, in quibus librorum hinc inde promissorum & in scriniis eru-ditorum adhuc absconditorum enumeratio instituitur, quæ inter merito recensenda venit *Theodor. Janson. ab Almeloveen Bibliotheca promissa & latens*: Gaudæ, An. 1698. in 8. cui haud infructuose annecti queunt *M. Rodolphi Martini Meelfüh-leri Accessiones ad Celeberr. Viri Theod. Jans. ab Almeloveen, Med. & Polyhist. Hardervic. Bibliothecam promissam & la-tentem*. Svobaci, A. 1699. in 8.

§. XV.

Admetiri hisce licuerit *Catalogum Catalogorum, Nomen-clatorem Nomenclatorum, & Indicem Indicum*, à *Philippi Lab-be* industria profectum, cujus titulus est: *Bibliotheca Biblio-thecarum* curis secundis auctior. Studio R. P. *Philippi Labbe, Biturici*, è Soc. *Jes. Rothomagi*, excudebat *Antonius Maurry*, An.

An. 1678. in 8. Editio secunda auctior & meliori ordine disposita. De hac sua Bibliotheca ipse Labbe in præfat. ad Lector. Philobibl. verbis à *Nolano Prasule* mutuo acceptis, sequens tulit iudicium: *Nostra hæc Bibliotheca omnium Poëtarum floribus spirat, omnium Oratorum fluminibus exundat, Philosophiæ quoque, Theologiæ, Juris, Medicinæ, Mathematicarum disciplinarum fontibus irrigatur; Peregrinis etiam dives literis, Romana ora Atticis, sed & Hebræis, Arabicis, Persicis, Sinicis, omniumque gentium favis implet.*

§. XVI.

Scriptoribus insuper Rei Numariæ in unum corpus quoad titulos duntaxat librorum coactis Bibliothecæ Numariæ nomen assignari, haudquaquam est inusitatum: uti vel ex unico patere potest hocce libello, cui tit. Philippi Labbe, Biturici, Soc. Jes. Presbyteri, Bibliotheca Numaria, ex Theologis, Juris Consultis, Medicis, ac Philologis concinnata, & in duas partes tributa: I. de Antiquis Numismatibus, Hebræis, Græcis, Romanis. II. de Monetis, Ponderibus & Mensuris. Cum Mantissa Antiquariæ Suppellectilis, ex Annulis, Sigillis, Gemmis, Lapidibus, Statuis, Obeliscis, Inscriptionibus, similibusq; Romanæ præsertim vetustatis monumentis collecta.

§. XVII.

Amaltheæ alicui Onomastica, sive Libro nudas dictionum vocumque significationes in se continenti, quicumque Bibliothecæ titulum præfigere voluerit, nã maculam ^{explicat} vix effugiet: præterquam enim quod simplex dictionum, nominumque collectio quam maxime differt à plurium librorum congerie, profecto analogia etiam, si quæ libris cum dictionibus intercederet, remotior esset, quam ut fundamentum titulo ejusmodi substerneret. Non injuria igitur Riderum Anglico suo Lexico Bibliothecæ nomen præfigentem Owenus per jocum irridens sequens protulit tetrastichon:

Quid sibi ridendi vult Bibliotheca Rideri?

Unus enim non est Bibliotheca liber.

Verborum cum theca sit hæc, non theca librorum,

Lexicon hoc dici Dictionotheca potest.

§. XVIII.

Neque omnem prorsus extra usum positum est, *historica alicui de Bibliothecis Commentatiuncula* titulum indere *Bibliotheca*: Hac quippe ratione, cum forte *Job. Lomejerus*, Ecclesiae Deutechomiensis in Belgio Pastor, libellum aliquem de Bibliothecis edidisset, *Wilhelmus Wilhelmius*, dictum illum libellum in carmine seq. gratulatorio, Bibliothecam nuncupavit:

*Integra pelle unâ hæc arctatur Bibliotheca,
Integra & hic unus Bibliotheca liber.
Quis dubitet tam docti operis cultissimus Autor
Quin verè ἐπιψυχὴ Bibliotheca fiet.*

§. XIX.

Cælestis Bibliotheca nomine nescio annon cælestis ille *Liber Vita*, in quo nomina inscripta sunt Electorum, possit quoque insigniri: is enim uti Catalogus quasi quidam est eorum, teste *Matthi. Hoë in Commentar. Apocalyps. cap. 3. p. m. 327. seq.* quos DEVS ad vitam æternam ita delegit, ut propter CHRISTVM fide apprehensum, pro filiis DEI computentur, & pro candidatis cælestibus, in album beatitudinis inscripti, olim æternum glorificentur, ita in tot volumina, quot credentium nomina in eo sunt exarata divisus, atque in cœli, tanquam tutissimi loci, armario reconditus & collocatus, à Bibliothecæ, improprie licet & per ἀποποπὰς, haudquam abhorruerit appellatione.

§. XX.

Præterea notatu haud indignum esse reor, *Veteris & Novi Testamenti Libros*, à quibusdam ævi superioris Scriptoribus *Bibliothecam* vocari: Sic namque *Durandus in Rational. l. 6. c. 1. n. 27.* Bibliotheca, inquit, est nomen æquivocum, scilicet Locus, in quo libri reponuntur, & Volumen ex omnibus libris *Vet. & Novi Testamenti ab Hieronymo compositum*. Quia vero in quibusdam Durandi exemplaribus lectio occurrit ista: (*est volumen ex omnibus libris se. & no. Testa. ab Hiere. compositum.*) idcirco

circo suspicio mihi, post plures alios, nata est, *Petrum* heic intelligendum esse *Hieremiam, Panormitanum*, vel *Hieremiam Paduanum*, qui ad exemplum *Stobæi* & aliorum, sententias Veterum collegit. Interea persuasum forte si non omnibus, mihi certe persuasissimum est, *Verbum DEI* scriptis Prophetarum & Apostolorum voluminibus comprehensum, *Bibliothecam* esse amplissimam pariter perfectissimam & pretiosissimam. Ut enim jam nihil dicam de pluribus, quæ in S. Biblia congesta sunt, Voluminibus, profecto in iis etiam, verissimum juxta *Andr. Hyperii de S. Scriptura lectione quotidiana lib. 1. p. 165.* judicium, disciplina omnis de uniuscujusque hominis officiis, tam erga DEVM, quam erga homines, consummate, ut nihil supra, traditur. Quapropter

Bibliotheca mihi sunt Biblia Sancta, Librique Horum, præ cunctis, Bibliotheca cluent.

§. XXI.

Per *Bibliothecam CHRISTI* licet nonnunquam ea librorum congeries soleat intelligi, quæ ex pluribus *de Persona, Officio, & Doctrina CHRISTI* conscriptis libris est instituta, apud *Hieronymum* tamen per eandem *Cor* significari assiduis de *CHRISTO* meditationibus repletum, ex ejusd. *Opp. Tom. 1. epist. 3.* verbis elucet hisce: *Nepotianus* lectione assidua & meditatione diuturna pectus suam *Bibliothecam* fecerat *CHRISTI*. Alio autem modo *Cor S. Ignatii, Johannis Apostoli discipuli & Martyris, Bibliotheca JESU* salutabitur, quippe in quo, è corpore illius à tortoribus evulso, literis aureis nomen *JESU* expressum fuisse inventum perhibetur, ob frequentiore scil. sanctissimi hujus nominis, dum adhuc viveret, ore cordeque factam repetitionem.

§. XXII.

Quando *Renatus Cartesius de Vitulo* quodam anatomico cultro subiecto *Bibliotheca* nomen usurpavit, significatu sane id fecit catachrestico & valde improprio: Neque etiam alibi, si recte quidem memini, hoc de *Cartesio* effatum, quam apud *Petr. Borellum*, licet reperire, utpote qui in *Renati*

Cartesii *Biogez.* pag. 8. tradidit seqq. Cum Cartesius ab Amico Alcaeris interrogaretur, an haberet Bibliothecam, & oraretur, ut illi eam ostenderet, ablata tela, ostendit illi Vitulum apertum, en meam, inquit, Bibliothecam! Sic olim Hippocrates Democritum inter animalia aperta studentem invenit.

§. XXIII.

Detestanda sanctæ vocis *Bibliotheca profanatio* haud immerito censenda est, quando eadem propudiosis quibusdam sceminis, scortis atque meretricibus, per ludum quasi ac jocum affingitur. Sic nempe *Hafnie in Dania* Diversorium aliquod, hos circiter ante 60. annos fuisse perhibetur, in quo cubiculum aulais exornatum splendidissimis, atq; variis mulierum quæstuosarum imaginibus distinctum, peregrinis ac hospitibus, *Bibliotheca scil. Virginalis* sub titulo, monstrari solebat, potestate ipsis simul facta eligendi, quam potissimum ex serie illarum, certa tamen prius numerata pecunia, in suos adduci cuperent amplexus. Quale quid etiam *Prage in Bohemia* à Judæo quodam factum memoratur, qui *Indicem Bibliothecæ Virginalis*, h. e. librum, in quo meretricularum nonnullarum effigies erant depictæ, Advenis lautioribus monstrando, cum iis de fixo quodam pretio, si consuetudo quidem alicujus forsan expeteretur, paciscebatur. Ad quam similiter classem illum quis morem retulerit, secundum quem *Bibliothecæ nomen*, vel vitreis poculis atque vasculis in scrinio aliquo, per diversa loculamenta, juxta quantitatem & figuram dispositis, tribuitur, & Germanice *eine Gläser-Bibliothek* appellatur; vel lusoriis chartifoliis, pro ludorum varietate, & regionum urbiumque nominibus, in quibus confecta sunt, nec non pro altitudinis ac latitudinis ratione ordinatis atque collocatis, imponitur, & *eine Karten-Bibliothek* nominatur; quod tamen nomen meliori Jure iis tribuitur chartifoliis, quæ in subsidium memoriæ *Norbergæ* inventa, vocantur *Geographische / Moraliſche / Astro-nomische / Poëtische* &c. *Spiel-Karten*. vel variis casei speciebus, secundum multiplices figuræ, saporis, quantitatis, coloris, aut alterius cujusvis accidentalis differentię modos, dispositis,

fitis, applicatur, & eine Käſ-Bibliothek vocatur. Qualis quidem execrandus & peſſimus vocis optimæ abusus illo potissimum tempore viguit, quo Pennalismi virus quasdam Germaniæ Academiæ infecerat. Prætereo lubens plura id genus alia, quæ idem vocabulum honestissimum vanissime non minus ac per hæpe stultissime sustinuerunt.

§. XXIV.

Pauperum iniquiori fortunæ, uti plerarumque rerum maxime necessariorum, ita *Bibliotheca* etiam alicujus assignatione, consulere semper laborarunt Viri pietatis pariter ac misericordiæ stimulo instigati; unde *Pauperum Bibliothecam* non tam parciori paucioreque aliquo librorum numero, quam unius tantum libri possessione, creditum haud raro est, potuisse absolvi. Ita namque *Guido Patinus*, Medicus Parisiensis excellentissimus, in *Epistol. Gallic. script. 6. L'histoire*, inquit, de Pline est un des plus beaux livres du monde: c'est pourquoy il à esté nommé *la Bibliothèque des pauvres*. h. e. *Historia Plinii è numero est optimorum mundi librorum, quam etiam ob causam dicta fuit Bibliotheca Pauperum.*

§. XXV.

Non tantum ingenii elegantioris lusum, sed ingeniosam quoque inventionem, illam Bibliothecæ vivæ non minus ac mortuæ delineationem fuisse dixerim, quam *Fr. Leo à S. Joanne*, Carmelit. Rhedonens. orbi exhibuit literario, dum is, teste *Ludov. Jacobo à S. Carolo* in tract. de *Biblioth. p. 544.* Ideam scripsit Bibliothecæ viventis & mortuæ, ad Virum *Cl. Henric. Memmium*, in qua uti insignem ejus solidamque librorum notitiam merito deprædicabat, ita numerosissimam quoque ejus & instructissimam Bibliothecam condignis laudibus extollebat.

§. XXVI.

Etsi Bibliotheca strictiore quadam propriaque significatione sumpta, præter librariam quamcunque suppellectilem, vix aliud quicquam admittere videtur. quin tamen, eadem in acceptione, mathematica quoque instrumenta, globi imprimis, spheræ, map-

mappæ geographicæ, numismata antiqua pariter & recentia illi ipsi inferenda sint, haudquaquam animi pendeo. Quapropter ægre nomen insignioris alicujus Bibliothecæ, præsertim publicæ, hodie quidem tuebitur, sola illa librorum congeries, amplissima licet & numerosissima, in qua mathematica ejusmodi & numismatica, ad fundamentalem quippe eruditionem acquirendam pernecessaria, exulant subsidia.

§. XXVII.

*An de essentia ac necessitate absoluta Bibliothecæ alicujus sit, maxime publicæ, Codicum MStorum, si non quidem grandior, aliquis tamen numerus, haud facile asseruerim. Ut enim taceam, præstantissimas etiam Orbis Bibliothecas, solis ex libris manu exaratis, Typographica scilicet Arte nondum inventa, olim fuisse compositas, profecto ex libris meris impressis, scriptorum puta illorum in locum subeuntibus, quin hodie Bibliothecæ constantes, dici queant optimæ ac pereximiæ, mathematicis præcipue ac numismaticis rebus non susque deque habitis, verisimillimum mihi videtur. Sane plerisque MStis fideli typorum ope accurate jam hodie excusis ac multiplicatis, nescio an extra ornatum & collationis forte alicujus faciendæ cupiditatem, multum adeo commodi ex iis in Bibliothecam redundet. Nimirum huc quadrat lepida illa de *Fulvio Ursino*, celeberrimo aliàs antiquitatis scrutatore, à *Jano Nicio* recitata fabula, quam ex Pinacotheca ejus prima excerptam heic juvat comparere: Pervertustis codicibus, (*Fulvius Ursinus*) quorum multos in sua Bibliotheca habebat, immania pretia faciebat. Atque illud accidebat perridicule: quod cum die quodam *Francisco Cardinali Toletò*, *Terentii Comœdias* ostendisset, easque affirmasset, ante annos mille fuisse conscriptas; ac revera essent antiquæ, sed mire depravatæ atque corruptæ: atque addidisset, nullam esse pecuniam, que antiquissimi illius Codicis estimationi par esset: Proh! Cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem Codicem unum, quantumvis recens impressum, sed castigatum, emendatumque, quam decem alios mendosos & corruptos,*
quam-

quamvis Sibylla manu exaratos. Ritus omnium, qui aderan̄,
est factus, cum viderent, rerum earum pretia, quæ ille
in cœlum efferebat, Cardinalis æstimatione sic concidisse.
Hunc postea librum moriens Bibliothecæ Vaticanæ legavit.
Atque hoc MStum, nonnulli Autores, antiquissimum esse
totius illius Bibliothecæ arbitrantur.

§. XXVIII.

Alia autem ratio habenda erit aliorum MStorum: ea enim
si nondum impressa, melioris itidem notæ, ac rarioris di-
gniorisque fuerint argumenti, ultra decus numerumque,
utilitatem insuper gignere, haud abnuero. Interea Conrin-
giana etiam illa locum heic habuerint, quæ in *descript. Biblioth.*
Wolfenbüttelens. hac verborum serie invenire licet exarata:
Alia, fateor, est ratio MStorum, quorum exempla hæte-
nus per typos impressa ac multiplicata non sunt. At vero
quantum quidem ex indicibus eorum videre est, pleraque
illorum minoris ad sapientiam præstandam momenti sunt:
ac proinde minoris etiam faciendi. Quin major tamen non-
nullis, quamvis paucioribus, reverentia debeatur, absit ut
à me negetur. Quæ Orientalibus linguis sunt composita
monumenta (qualia, spretis Græcis Latinisque, à nonnul-
lis jam calidissime omnium expetuntur, ut est ingenium
hominum novitatis avidum,) in nostro quidem orbe, lon-
ge Græcis Latinisque rariora sunt, quoniam, si Hebraica
& Chaldaica excipias, nihil fere eorum (pauca enim non
moror) typis est editum: adeoque hætenus in majore me-
rito sunt pretio habenda. Si utilitatis tamen, quam ex
iis sapientiæ studia debeant aut possint accipere, rationem
habeas, vereor, ne infra typos excusos, & multum qui-
dem, rejicienda sint. Seponamus sane Hebraica: hæte-
nus profecto, ne ex fama quidem, accepimus, esse saltim
vel Persicum, vel Copticum, vel Æthiopicum quid aptum
sapientiæ, (alia enim ratio Historiæ est,) quod non liceat
longe plenius ex typis editis addiscere. Quæ certe, tan-
quam invitamenta ad doctrinam illarum gentium desideran-
dam, usque huc prodierunt, vetant nos ab iis præclari mul-

tum sperare. Omnium eruditissima, citra controversiam, Arabica sunt; & numero etiam plura. Sunt autem eorum alia versa ex linguis aliis, alia propria: illorum potior saltem pars, ex Græco profecta est; quæ, quoniam Græce jam tum publicata typis sunt, quis prudens ex aridis Arabum rivulis quæsierit? Mathematica quædam, fateor, adhuc Græce desideramus, quæ illi Apollonio Pergæo & aliis adscribunt: sed perquam pauca, & fortassis incertæ fidei. Scio & ex Latino versa quædam, ipsi Latino Orbi hodie ignota, superare, à Viris doctis, *Erpenio*, & aliis esse traditum: sed hæctenus quidem decollavit illa spes, nec vel Asia, vel Africa quidquam tale Europæ dedit, imo vero nihil tale, quod speremus, facit illud de Latinis per Africam omnem, monumentis abolitis, præ superstitione Calipharum Johannis Leonis testimonium. Quæ propria sunt Arabum, longe infra Græcam eruditionem esse, mihi quidem documento sunt Philosophica & Medica, utpote quorum potissima dudum habuerimus Latine, sive Barbare potius, versa: in quibus nihil fere reperias non à Græcis acceptum, quod quidem majoris paulo momenti queat censer. *Et post interjectas nonnullas lineas.* Ceterum ita sentio, Illustribus quidem illis & Regiis Bibliothecis, præ Orientalibus saltem, convenire & illud Mistorum genus, quod sequiorum quoque, imo & nostri temporis res gravissimas atque acta procedere aptum est. *Hæc Conringius c. l.*

§. XXIX.

Reliquiariis ex crepundiis tantum abest ut in Bibliothecam, quamcunque etiam illam, veri decoris aliquid commodive redundare queat, ut potius officere illa libros aliàs curiosiore oculo perlustraturis, fatendum sit. Unde etiam Christianum magis fuerit, res pro reliquiis vane venditari solitas penitus abolere, quam diligentiore earum asservatione, amplaque deprædicatione, novum non tantum superstitioni & idololatriæ pabulum suppeditare, sed etiam oculis pariter auribusque hominum à rebus abstractis utilis in cassum detentis, tempus prave ac inaniter consumere.
Nam

Nam si ullibi aliàs, heic etiam valuerit notissimus ille ver-
ficulus: *Nocte dieq; cave tempus consumere prave.*

§. XXX.

*Quis quantusque librorum numerus ad Bibliotheca alicujus, præsertim publicæ constitutionem requiratur, nescio an exacte possit definiri: grandiolem tamen eum quam in privata requiri, in propatulo est. Publica sane alicujus nominis esse nequit sine locupletiore quodam monumentorum librorumque apparatu: Privata tamen suffecerit, si pro studiorum & fortunæ modulo sit instructa. An vero antiquum illud, Ne quid nimis, in librorum Publicis Bibliothecis inferendorum collectione, itidem sit attendendum, haud asseruerim: uti enim non quivis grandior librorum numerus semper est nimius, ita nec quamvis ejusmodi copiam fastuosæ ostentationis nomine decet traducere vel reprehendere: siquidem non semper licet ex paucis æque multum fructus, atque ex multis consequi voluminibus. Alteri nimium est, quod alteri parum: quædam profecto studia, speciatim historico-philologica, sine multiplici lectione, atque adeo copiosa & numerosa Bibliotheca, exerceri non possunt. Et unde quæso Athenæus sua *Δειπνοσοφικὰ*, unde Plinius Naturalem Historiam, Clemens Alexandrinus *ερωματίων* libros, Eusebius præclara adeo multijugæ lectionis volumina exhibuisset orbi literario, nisi amplissimo librorum numero instructi fuissent. Taceo Scaligeros, Cujacios, Casaubonos, Lipsios, Grotios, Gothofredos, Salmasios, Naudæos, & plura alia id genus nomina eruditissimæ notissima, quæ sane non aliunde quam ex amplissimis eruditionis penuariis, & vastissima librorum copia decus famamque acceperunt immortalem.*

§. XXXI.

Ad Bibliothecas Veterum à stupenda fere librorum multitudine celebratas quod attinet, librorum nomine non semper Codices justæ alicujus & insignioris magnitudinis, sed philyræ haud raro, quin imo etiam folia veniebant: Sane, ut alia nunc exempla non attingam, Ciceronis quinq; Tusculanar.

Questlon. Volumina, non tam grandioris molis libros, quam quinque duntaxat aut sex in univ^{er}sum plagulas absolvere, evolutio earum ad oculum demonstrat. Nimirum apud Veteres, inquiente *Conringio de Biblioth. Wolfenb.* liber five volumen non significavit grandem aliquem codicem, prout fit hodie: sed voluminis vox aliquid separatim subsistens, five, convolutum signavit, atque de exiguo etiam libello accipitur, ceu ex *Tull. Tuscul. item Autor. libr. ad Herenn.* patet. Et quidem olim promiscue accipi solitæ sunt voces libri & voluminis. Cum legimus itaque, numerata in Græcis Latinisque Veterum Bibliothecis, triginta, imo quadringenta, aut sexcenta millia librorum, non est, quod, juxta morem nostri seculi, totidem grandes codices animo numeremus. Libri scilicet & volumina fuerunt; quorum hodie centena aliquot unus aliquis grandior noster codex completitur.

§. XXXII.

Ne autem quis forsan existimet, tali voluminum interpretatione, gloriam veterum Bibliothecarum, à numero maxime librorum ampliore indeptam evanescere, vel saltem minui ac attenuari: velim cum animo suo agitet, exiguos etiam tum temporis libellos pretio constitisse carissimo. *Platonem* sane unum *Philolai* libellum quadringenta Minis Alexandrinis, & *Aristotelem* folius *Speusippi* scripta talentis emisse triginta, à *Diogene* memoratur *Laërtio*. Maxima igitur in gloria fuerint necesse est *Bibliotheca Pergamena*, in qua, teste *Plutarcho*, ducenties mille ἀπὸ βιβλία; *Cptana*, in qua centum viginti millia librorum: *Alexandrina* Regum *Ptolemæorum*, in qua septingenta millia voluminum, qui tamen numerus non est unus idemque apud omnes verba de ea facientes Autores, siquidem *Georg. Cedrenus* scribit, fuisse in ea centum millia; alii ajunt, ducenties mille; alii quadringenta millia, alii septuaginta millia, nisi forte in voce septuaginta error sit, & septingenta reponendum. Taceo plures alias publicas veteris ætatis ac recentioris ævi Bibliothecas ob numerum & copiam librorum admodum celebratas. Magnificum interea

interea illud est elogium, quo Wolfenbütelens. Bibliothecam exornavit b. m. *Saubertus* in Dedicat. Templ. Hierosol. Jacob. Jehud. Leonis : Maximum quod Serenitas Tua Bibliothecam ex omnium prope Regionum angulis, vere augustis impensis, conquifiverit, & in hodiernum usq; diem ita instruxerit, ut cum aliis, quotquot in orbe terrarum dantur, de præstantia & codicum copia contendere queat. Privatis in Bibliothecis quis, quantusve apud Veteres librorum fuerit numerus, licet rarius expressum traditumque inveniatur, sicubi tamen numerus eorum occurrit, profecto non stupendus tantum, sed pene incredibilis videtur: Sic *Tyrannionis* Bibliotheca tres librorum myriades, atque totidem etiam *Epaphroditi* habuisse dicitur à *Svida*, quas tamen numero librorum superasse debuit *Laurentii*, civis Romani, & *δειπνοσοφισῶν* illius convivatoris Bibliotheca, de qua *Athenæus Deipnosoph. lib. 1. fol. 3.* vetustorum librorum Græcorum pariter ac Latinorum copiam tantam *Laurentius* congeffit, ut omnes libris coacervandis Nobiles superaret, Polycratem, inquam, Samium, Pisistratum Tyrannum Atheniensium, Euclidem Atheniensem quoque, Nicocratem Cyprium, Pergami Reges, Euripidem Poëtam, Aristotelem Philosophum, & qui horum libros in potestate habuit, Nileum, à quo scilicet omnes mercatus *Ptolemæus* Rex nostras, cognomine *Philadelphus*, cum iis quos Athenis & Rhodi emerat, in pulchram *Alexandriam* transferri curavit.

§. XXXIII.

Qui *Wolfenbüttelensi* Bibliotheca majorem codicum numerum tribuunt, quam, quæ *Mediolani* in Italia est, *Ambrosiana*, nã oppido falluntur: Juxta enim Computum *Conringianum*, summa Voluminum Biblioth. *Wolfenb.* ad Voll. 28415. assurgit; *Mediolanensis* autem voluminibus referta est 38000. Juvat de eadem *Joh. Mabillonium* & *Michaël. Germain.* in *Musei Italici Tom. 1. pag. 11.* audire differentes: *Mediolani* Bibliotheca *Ambrosiana* omnes Italicas longe superat, si *Vaticanam* excipias, five ædificii elegantiam, five librorum multitudinem, aliaque ornamenta spectes, five facilem accessum.

Nam singulis diebus mane & vespere quibusvis patet. *Hanc* probante Clemente VIII. à fundamentis erexit *Federicus Borromæus*, Sancti Caroli ex fratre nepos, eamque elegantissimis ædificiis, libris omnigenis, picturis, tabulis, signis seu statuis instruxit, legibus communivit: eidemque nobile collegium sexdecim Doctorum, qui literas & pietatem colerent, adjunxit. Nec eum spes fefellit. Nam ex illo collegio jam prodierunt multi viri doctissimi, *Joseph. Ripamontius*, *Franciscus Bernardinus Ferrarius*, *Franciscus Collius*, *Josephus Vicecomes*, *Petr. Puricellus*, omnes libris editis clari, & *Petr. Paulus Boscha*, qui de hac Bibliotheca libb. V. scripsit. Alios recentiores mittimus. Hoc monumentum in gentis Borromæz perenne decus erigere videbatur *Federicus*: sed alio mentem vertit innata illi Genti Humilitas, in antiquis ædificiis ubique impressa: quæ id effecit, ut totum istius institutionis honorem ad *Ambrosium Mediolanensis civitatis Patronum* referret, atque ab ejus nomine *Ambrosianam Bibliothecam*, *Ambrosianumque Collegium* appellaret: quem titulum fronti Bibliothecz imprimendum curavit. Sita est in urbis fere medietate, prope Ecclesiam S. ncti Sepulchri. Post vestibulum se se offert Vas amplissimum, in latum cubitos sexdecim, in longum quadraginta, in altum quinos vicenos habens: quod in laquear pictura variegatum desinit, ad duodequadranta millia voluminibus refertum, simul computatis codicibus MStis, qui in adjuncto museo reconditi sunt, interjecto Peristylio. In hoc museo cernuntur clarorum virorum selectæ imagines. Succedit Hortulus, & post hortulum Aula statuariz artis à dextris, & exquisitarum picturarum altera à sinistris: quæ exercitationis materiam utriusque artis professoribus singulis septimanis præbent. Ad hanc Bibliothecam locupletandam nullis pepercit sumtibus *Federicus*: sed missis quaquaversum viris literatis, libros & veteres codices undequaque conquisivit, nempe ex Italia per diversos, ex Græcia & toto Oriente per *Gratum civem Senensem*, ex Gallia, Germania & Belgio per *Olgium*. Omnes certatim *Federici* generosis consiliis obsecundabant, *Bobienses nostri* (est autem *Bobium*, vulgo *Bobbio* inserere hæc liceat intellectûs gratia, oppidum Italiæ in

in profundissima valle, pro loco satis amœna, frumento & vino ferendis idonea, ad amnem *Trebiam* situm, ubi monasterium est Bibliotheca instructum clarissima,) vetustiores codices latinos suppeditarunt; Ambrosiani Cistercienses pretiosissimum inter alia volumen ex Charta Ægyptiaca seu phyl-lira, sed mutilum, continens aliquot libros Flavii Josephi de Antiquitatibus Judaicis, Rufino interprete. Scriptus est co-dex, si *Boscha* credimus, ab annis mille trecentis; si quid in his sapimus, ante annos mille & centum, haud multo post Rufini ætatem.

§. XXXIV.

Non certe turpi *Bibliomania*, vel alterius cujusvis pro-brosi nominis labe aspergendos, quam egregio Bibliophilæ elogio illos insigniendos esse arbitror, qui ex privatæ condi-tionis hominibus, librorum coacervandorum ducti desiderio, immensam sibi eorum copiam undiq; coëmunt: præterquam enim, quod felicitate, vel fato potius eo interdum gaudeant, ut in libros oculis non cujusvis, nec ubivis expositos, & in tinearum nonnunquam blattarumque pabulum cessuros, incidentes, eos ab interitu vindicent, commodiorique loco reponant, profecto sedula etiam ejusmodi à privatis insti-tuta librorum congestione publicis deinceps Bibliothecis egregie consulitur, si vel venditione eorum ab heredibus facta, vel testamentaria defuncti legatione, vel alia quavis ratione, grandior aliquis librorum numerus publicæ incre-mentum addat Bibliothecæ. Idcirco, si non aliam ullam ob causam, profecto vel unam ob hancce *Aldi Manutii junioris* memoria ad immortalitatem mihi videtur consecranda, quod is Pisanae Academiæ octoginta millia legaverit librorum: Ita enim *Andr. Schottus in Itinerar. Ital. lib. 2. cap. 10. p. m. 439. Aldus Ma-nutius, Pauli filius, Aldi nepos, nuper (h. e. A. 1597.) in medio vitæ decedens, octoginta millium librorum Bibliothecam à se col-lectam, Pisanae Academiæ in Etruria testamento reliquit. Nimirum distingvendum esse censeo, inter culpabilem quid-vis mercandi pruriginem & speciatim eam profusæ pecuniæ vesaniam, quæ in tuliparum bulbos comparandos, elapso demum*

démum seculo in Belgio à ditioribus quibusdam mercatori-
bus impendebatur, atque inter laudabilem emendi pruden-
tiam, quæ in philomathis quibusdam viris privatis, librorum
cumulandorum gratia, superiori tempore observabatur.
Illam quin *Tulipomania* nomine *Boxhornius*, aliique eruditi
recte perstrinxerint, uti infitias ire nolo, ita circumspectam
hanc libros congerendi cupiditatem *Bibliomania* nomine esse
notandam, vel ipso *Seneca* anteaambulone, haudquaquam
asseruero.

§. XXXV.

Unicum interdum *librum* instar *Bibliothecæ*, etiam am-
plissimæ, esse posse, vel ex illo Poëtæ colligere licebit di-
sticho:

*Quid juvat innumeris repleri scrinia libris,
Unus præ cunctis Plinius esse potest.*

in cujus tamen pentametri locum, mea quidem, & forsan
Christianorum omnium sententia, reponendum esse arbi-
trarer versiculum huncce: *Unus præ cunctis* *Biblicus* esse
potest. *Duos* dundaxat *libros* *Bibliothecam* facere *Agrippa*
censuit; quippe qui *lib. 3. epist. 31.* *Duos* tibi, ait, præcipue
legendos dabo; unum *Latinum*, *Plinium*; alterum *Græcum*,
Plutarchum. Hi duo, crede mihi, præ ceteris sufficiunt,
ad reddendum hominem, in omni scientiarum genere,
utrâque lingvâ doctissimum. *Tres* qui *libros* ad *Bibliothecæ*
constitutionem sufficere existimarunt, itidem sunt reperti,
nempe *Plinium*, *Aristotelem*, & *Plutarchum*. Ex quatuor Au-
toribus, *Aristotele*, *Plinio*, *Plutarcho* & *Ptolemeo*, secundum
Philippi Melanchthonis, communis *Germaniæ* Præceptoris,
consilium, *Bibliotheca* erat adornanda. Neque pluribus,
quam quatuor libris, nempe *Bibliis*, *Institutione* *Calvini*, *Con-*
fessione *Beze*, & *Grammatica* *Hebræa* *Cevallerii*, *Bibliothecam*
suam instructam fuisse, *Franciscus Junius*, *Genevæ* literis operam
navans, memoriæ prodidit. *Totidem* quoque *libris* constan-
tem *Bibliothecam* perfectam dici posse & completam, *Gvido*
Patinus in jam cit, *epist. 6.* professus est: *L' Histoire*, inquit, *de*

de Pline est un des plus beaux livres du monde : c'est pourquoy il à esté nommé la Bibliothéque des pauvres. Si l'on met Aristote avec luy, c'est une Bibliothéque presque complétée. Si l'on ajoute Plutarque & Seneque, toute la famille des bons livres y sera, pere & mere aisné & cadet. Denique *Centum Libris Bibliothecæ titulum posse imponi* *Matthæus Vayerus* testatur, quippe qui in Epistola singulari Scholæ suæ Principum gallica lingua exarata annexa, jam dudum demonstravit, Principi & Nobilibus, vel *centum librorum Bibliothecam* sufficere, ad quaslibet artes & scientias, quantum satis est, addiscendas.

§. XXXVI.

Vice *Bibliothecæ Amphoram* quandam fuisse vino repletam, cujus potator, unici haustus ope, tot scientiis artibusque se imbuerit, quot ex longiore Bibliothecæ instructissimæ usu vix hauriri vel acquiri potuissent, non tantum fando fere inauditum, sed fidem etiam excedere videtur omnem : Si tamen ea in memoriam revocentur, quæ *Joachimo Abbati*, quinque jam ante secula, contigisse *Chalcondylas* lib. 6. pag. 251. perhibuit, *Oinotheca* quin *Bibliothecæ* nomine insignienda sit, nullum est dubium : Verba autem inde huc translata hoc ipsum amplius confirmabunt. Nimirum *Joachimus* cum esset idiota, nec vel modicum eruditionis haberet, janitor in quodam monasterio Italiæ fuit, & aliquando in horto egresso apparuit Vir forma pulcherri- mus, qui assistens ad *Joachim*, manuque *Amphoram* tenens, inquit : *Joachim* cape, bibe vinum hoc ; est enim optimum. Qui dicto audiens, bibit ad satietatem usque, *amphoram*que reddidit, inquiens, se satis bibisse. Cui Vir respondens dixit : *ô Joachim*, si totum exhausisses vinum, nulla te scientia fugisset. Deinde in colloquium & disputationem veniens cum viris ea tempestate doctissimis, plane divinus, quantum ad scientiam attinet, apparuit.

§. XXXVII.

Communissima & pervulgata illa est *Bibliothecarum* *partitio*, quando eadem in *privatas* & *publicas* distinguuntur : mea tamen quantum fert opinio, *privato-publicæ* iis amplius erunt

D

erunt accensenda: quales uti plures in Italia pariter ac Gallia, & speciatim Parisiis, extitisse, uti notissimum est, ita *Anfloianam* illam quam maxime judico deprædicandam, cujus mentionem *Georgius* fecit *Gentius* in *Epist. Dedicat. ad Doctiss. Præstantissimumq; Virum Gerebranaum Anslo*, Mercatorem Amstelodamensem spectatissimum, verbis hisce seqq. Nil ego nunc de pulcherrima pretiosissimaque Bibliotheca Tua heic dicam, quam incredibili labore, immensisque sumptibus, ex *Hebraeis* potissimum & *Arabibus*, adeo ingenti manscriptorum voluminum thesauro, Judæis ipsis admirando, ornasti, *que raro, aut nunquam vidit noster orbis*, ut publicas quaslibet bibliothecas magnificentia æques, munificentia etiam superes, dum pulcherrimi istius thesauri possessionem tibi, *usum etiam aliis omnibus liberalissime vindicas*; quod vere bonorum proprium est, beneficium dando te accepisse existimans, cum digno dederis.

§. XXXVIII.

Ordo, si ulla in re alia, certe in Bibliotheca, omnino est observandus, non quidem scrupulosior ille, & in portiunculas minimas solcite nimis distributus, sed qui secundum vulgarem illam quatuor Facultatum seriem institutus, libros, juxta magnitudinem suam, dispositos in se contineat: cetera enim Indicibus Bibliothecarum & committenda & repetenda inde erunt. Pro illustrando magis hoc asserto ea facient, quæ de *Bredenbergenfi Bibliotheca* in *Holsatia* memoriae prodita inveniuntur: Nimirum egregiam Bibliothecam instruxit in *Arce sua Bredenberga* Vir illustr. *Henricus Ranzovius*, ut in qua *sex millia & trecenti libri* variorum argumentorum & autorum sunt reposita, præter æneas tabulas diversi generis, statuas marmoreas, globos, mappas geographicas, astrolabia, horologia, & alia id genus Mathematica instrumenta. Extat de eadem Carmen *Detblevi Sylvii* Bibliothecæ Ordinem & Seriem oculis quasi subjiciens:

Quam *Bredeberga* tenet, merito celebratur ubiq;
Laudibus, à doctis, Bibliotheca, viris.

Tam

Tam variis etenim, totque est instructa libellis,
 Ut non huic habeat Cimbrica tota parem.
Prima sacris libris Classis spatiosa dicata est,
 Qui nostræ tradunt Religionis opus.
Hinc sequitur Legum Jurisprudencia cultrix,
 Hæc est Justitiæ fida ministra sacræ.
Tertia sed Classis Medicinæ tota tributa est,
 Quâ viget humani corporis ipsa salus.
Vendicat hinc quartam Classem sibi docta *Mathesis*,
 Inde sacros Vates, Historicosque vides.
Bis ter mille libris constat, *Librisque trecentis*,
 Vilibus exceptis, quos numerare grave est.
 Dii faxint superi, multos sit salva per annos,
 Et maneat seræ Posteritatis opus.

§. XXXIX.

Varia Bibliothecarum Nomina & Cognomina, serie digesta
 alphabetica, prout quidem eadem ad finem properanti se se mi-
 hi obtulerunt, non incongruum forsan fuerit heic subungere:
Abyssinarum Jodoc. Ludolf. *Histor. Æthiop.* 4, 2, 1, f. *Alt-*
dorfina Georg. König. *Ambrosiana* Pet. Paul Boscha, *Ambro-*
siana Monumenta Jac. Phil. Opicellus, *Amstelodamensis* Anony-
 mus, *Amstelodamensis Gymnasii* Lambec. *Biblioth. Vindob.*
 P. 2. l. 6. p. 244. *Angelica* Angel. Roccha, *Anglicana* Thom.
 Jamesius & Ant. à Wood, *Anti-Janseniana* Philipp. Labbe,
Anti-Jesuitica Anonymus, *Anti-Trinitaria* Christoph. Sandius,
Antverpiana Aubert. Miræus, *Attica* Jo. Meursius, *Augustana*
 Dav. Hæschelius, Ant. Reiserus, *Augustiniana*, h. e. *Catalo-*
gus Biblioth. Ant. Augustini, Philipp. Elsius, *Barberina Ro-*
mæ, *Bavarica* Anonymus, *Belgica MStæ* Ant. Sanderus, *Bel-*
gicus Bibliographus Claud. Dorefmieux, *Belharnosiana* h. e. *Catal.*
Biblioth. Belharnosianæ, *Benedictina* Anonym. *Bibliothecarum*
Phil. Labbe, *Bobiensis in Ital.* *Bononiensis* Jo. Ant. Bumaldus,
Bodleiana Thom. Jamesius, *Botanica* Jo. Ant. Bumaldus,
 D 2 Buden-

Budensis Jul. Pflug, *Cantabrigiensis* Thom. James, *Cardinalitia*
 Lud. Jac. à S. Carolo, *Carmelitana* Idem, & Pet. Lucius, *Carp-*
zoviana h. e. Catalogus libror. quos collegit Frid. Bened.
 Carpzovius, *Cartusiana* Theodor. Petrejus, *Chaldaica*, sive
 Catal. libb. chaldaeor. Ebed Jesu, Abrah. Echellenfis, Barthold.
 Nihus. *Chinensis* sive Catal. libb. è Regno Sinar. advektor. *Chri-*
stinae Reg. Svec. Romæ, *Chronologica* Philosoph. Autorum Clas-
 ficor. Jo. Jac. Frisius, *Chronologica* SS. Patrum & Scriptor. Ec-
 cles. Phil. Labbe, *Chymica* Petr. Borellius, *Cisterciensis* Carol. de
 Vifch, *Claromontana* Colleg. Paris. Soc. Jes. Claudius Florus,
Classica Georg. Draudius, *Cluniacensis* Andr. à Quercu, *Collegii*
Paris. Soc. Jes. Joh. Garnerius, *Concionatoria* Francisc. Com-
 besis, *Cptana* Ant. Verderius, *Cptana* sive Antiquitates Ur-
 bis C. P. Nicol. Wyriot, *Corbiniana* Jacob. Corbin, *Cordesiana*
 Joh. Cordesius, *Cramoissiana* Sebast. Cramoissius, *Curiosa*, sive
 Bibliographia Historico-Politico-Philologica, *Dictionaria*
 Thom. Eliota, *Dominicana* Ant. Senensis, *Ecclesiastica* Aubert.
 Miræus, *Ecclesiasticorum* Autorum M. Ellies du Pin, *Erpeniana*
 Thom. Erpenius, *Escurialis* Joh. Bapt. Cardona, *Exulum* Ja-
 nus Gruterus, *Floriacensis* Joh. à Bosco, *Florentina* Henric.
 Ernstius, *Franciscana* Henr. Willotus, *Fresniana* h. e. Catalo-
 gus libb. Biblioth. Raph. Tricheti du Fresne, *Gallica* Ant. du
 Verdier, *Gallo-Svecica* Anonymus, *Gandavensis* Ant. Sanderus,
Geographica Mart. Zeillerus, *Gæstiana* Morhof. Polyh. lib. 1.
 c. 7. p. 67. *Gudiana* ibid. p. 70. *Græca* Jo. Meursius, *Hispanica*
 Valer. Andr. Taxander, *Hispania* seu de Academiis ac Biblio-
 thecis, item Elogia & Nomenclator claror. Hisp. Scriptor.
 Andr. Schottus, *Historialis* Nic. Vignierius, *Historicorum* Gallie
 Andr. à Quercu, *Heidelbergensis* Lips. de Biblioth. c. 6. *Hein-*
siana sive Catal. libb. Nic. Heinsii, *Holsteniana* Morhof. Poly-
 hist. l. 1. cap. 7. p. 68. *Homiliaria* Pet. Blanchotus, *Janiniana*
 Pet. du May, *Jatrica* Jo. Georg. Schenck. *Ingolstadiensis* Anon.
Interpretum S. Thom. de Aquino Xantes Mariales, *Italica* Ange-
 lus Aprosius, *Juridica* Daniel Doringius, *Juris Gallici* Laur.
 Bochellus, *Kempensis* Gabr. Naudzus, *Leydensis* Anon. *Lipstien-*
sis Joach. Feller, *Lovaniensis* Er. Puteanus, *Mariana* Pet. de
 Alva, *Materiarum* Jo. Molanus, *Mazariniana* Anon. *Medica*
 Jo.

Jo. Ant. van der Linde, *Mediolanensis* h. e. Ateneo de i Letterati Milanefi Phil. Picinellus, *Memmiana* Paris. *Militaris* Gab. Naudæus, *Minoritarum* Laur. Waddingus, *Mundi Vinc.* Bellovac. *Mysticorum Gallie Scriptorum* Andr. Sauffay, *Norimbergensis* Jo. Saubertus, *Nautica* Anton. Leo Pinellus, *Numaria* Phil. Labbe, *Orientalis & Occidentalis* Ant. Leo Pinellus, *Oxonienfis* Thom. Jamesius, *Parifina Bibliographia* Lud. Jac. à S. Carolo, *Patavina* Jo. Phil. Tomafinus, *SS. Patrum* Margar. Bignæus, *Peregrinantium* Dav. Frælichius, *Philologica* Anonymus, *Philosophica* Paul. Bolduanus, *Philosophorum Chronologica* Jo. Jac. Frifius, *Poëtica* Jo. Pet. Lotichius, *Politica* Gabr. Naudæus, *Polonica* Simon Starovolfcius, *Pontificia*, in que de Pontificib. Rom. qui Scriptis claruerunt, & de Autoribus qui eorum vitas & laudes fcripferunt, Ludov. Jac. à S. Carolo, *Premonftratenfis* Joh. le Page, *Puteanorum fratrum* Lambec. Bibl. Vindob. part. 2. lib. 6. p. 257. *Rabbinica* Jo. Buxtorfius, *Regia* Philipp. Labbe, *Sacra P.* Ravanellus, *Sacra Bibliothecar. illustr. arcana relecta* Theoph. Spizelius, *Sancta Sixt. Senenfis*, *Scholastica* Daniel Malonius, *Scorialenfis* Hisp. Claudius Clemens, *Scripturalis* Angel. Roccha, *Scriptorum Soc. Jef.* Phil. Alegambe, *Selecta* Ant. Possevinus, *Sequieriana* h. e. Catalogue des Manufcrits de la Biblioth. de M. le Chancelier Seguer, *Slufiana* h. e. Catal. libb. Gvalteri Card. Slufii Francisc. Deseine, *Studii Theologici* Anonym. *Telleriana* h. e. Catal. libb. Biblioth. Caroli Maurit. le Tellier Archiep. Ducis Remenf. *Theologica* Petr. Besodnerus, *Tigurina* Henr. Huldricus, *Thuana* Jos. Quefnel, *Tholosana* Pet. Maynardus, *Valentina* Anon. *Vaticana* Ang. Roccha & Mutius Pansa, *Veneta* Jac. Phil. Tomafinus, *Viennenfis* Pet. Lambecius, *Virginalis* Pet. de Alva, *Virorum doctrina illustrium* Jo. And. Quenstedt, *Voffiana* Morhof. l. c. p. 68. *Ultrajectina* Anon. *Universalis* Pet. Blanchotus, Sieur de la Croix du Mayne, & Sieur de Clerc, *Umbria* Lud. Jacobillus, *Wittebergensis* And. Sennertus, *Wolfenbüttelensis* Herman. Conringius. Quibus infuper addi queunt Bibliothecæ feqq. *Altempenfis*, *Alteriana*, *Argentoratensis*, *Aurelianenfis*, *Berolinenfis*, *Bremenfis*, *Bruggenfis*, *Cantabrigienfis*, *Cafienfis*, *Capranica*, *Chigiana*, *Ciaconiana*, *Dresdensis*, *Dolana*, *Ferdinando-Albertina*, *Ferrarienfis*,

riensis, Fuggeriana, S. Gallensis, Giessensis, Gratiensis, Hallensis, Ham-
 burgensis, Helmstadiana, Herbornensis, Jenensis, Insbruccensis, Jorcensis,
 Lubeccensis, Moguntina, Monachiensis, Monasteriensis, Pesarensis,
 Pragensis, Ratisbonensis, Remigiana, Rosenbergica in Bohem. Rosto-
 chiensis, Roterodamensis, Styrakensis, Trevirensis, Tubingensis. Ut nihil
 jam dicam de Romanis Bibliothecis publicis, quarum undetriginta
 Constantini M. ævo extitisse, P. Victor in descriptione Urbis me-
 moravit: Neque de Gallicis amplius quicquam lubet addu-
 cere, utpote de quibus ampullas & sesquipedalia verba pro-
 jecisse constat Ludovicum Jac. à S. Carolo in tractatu suo de Bi-
 bliothecis, audacter asserentem: In sola Gallia, imo sola in urbe
 Parisina, plus Bibliothecarum privatarum esse, quam in Germanic,
 aliisq; Regnis.

§. XL.

Vix amplius mirabitur aliquis, vel Cratinum Athenien-
 sem Comicum periisse, cum pleno vase vinum effundi cer-
 neret, vel P. Terentium Afrum Comicum è Græcia redeun-
 tem, & 108. fabulas ex Menandro conversas in mari amit-
 tentem, ex nimio animi dolore vitam finiisse, si memoria
 recoluerit, Jacobum Gopilium, Medicum sane celeberrimum,
 ob direptam ferali illo Germaniæ bello à militibus Biblio-
 thecam Heidelbergensem, præ mœrore animi obiisse. Nempe
 juxta Poëtæ versum illum verissimum: *Mille modis homines mo-
 rimur, sed nascimur uno.*

§. XLI.

In Bibliotheca sua *Celius Calcagninus*, (qui Canonicus Ec-
 clesiæ Ferrariensis, atque Poëta & Orator fuit sub initium
 sec. XVI. post C. N.) sepeliri voluit, ceu quidem *Job. Galloys*
de plus belles Bibliothèques p. 117. annotavit: Cum enim *Celius*
Calcagnini nihil magis optaverit, quam de omnibus, pro for-
 tunæ captu, optime mereri, decedens, Bibliothecam suam,
 in qua maximam ætatis partem egit, in suorum civium
 gratiam, publicavit, & in ea se recondi mandavit. Inscri-
 ptio desuper januam est: *Index tumuli Cel. Calcagnini, qui ibi-
 dem voluit sepeliri, ubi semper vixit. De eodem Calcagnino Octa-
 vius Boldonius in Epigraphic, l. 5. fol. 641. num. CCCXXVII.*

Varia-

variatis tamen nonnullis & novis circa finem adjectis ex *Su-
uertio* sensu adduxit papistico seqq. Nobis fas erit nomen
Manium usurpare, sive pro *Defuncti Anima*, sive pro *Anima post
excessum in Antro Purgatorio tenta*, ut apud *Suvertium* ibi supra
ostium Bibliothecæ in Epitaphio Ferrariensi, quod non pœ-
nituerit totum heic accepisse, videlicet:

CVM. CAELIVS. CALCAGNIVS.
nihil magis optaverit, quam de omnibus pro
fortunæ captu optime mereri: decedens
Bibliothecam, in qua multo maximam ætatis
partem egit, in suorum civium gratiam
publicavit, & in ea se condi mandavit.
Tu quisquis es, rogo, ut Hominis B. M.
Manibus Deum propitium preceris. Ex
diuturno studio in primis hoc didicit,
Mortalia contemnere, & Ignorantiam suam
non ignorare.

Calcagnini mentio quoque facta est apud *Andr. Schott. in Inti-
nerar. Ital. pag. 221.* verbis hisce perbreuibus: In Fratrum
(D. Dominici) Cœnobio Bibliothecam ingrediens, offendes
cineres & Epitaphium *Celii Calcagnini*, qui eum locum suis
librorum thesauris locupletavit. Aliter autem nonnihil de
Calcagnini hujus & sepultura & Bibliothecæ legatione *Ludov.
Morery in Grand Dictionaire Historiq. tom. 2. p. 12. col. 2.* men-
tem suam exposuit, inquiens: *Il mourut en 1540. & fut en-
terré dans l' Eglise des Dominicains de Ferrare, ausquels il laissa sa
Bibliotheque. h. e. Mortuus is est An. 1540. & sepultus Ferrariæ
in Ecclesia Dominicanorum, quibus Bibliothecam suam legavit.*

§. XLII.

Lepide potius *vindictæ*, quam injuriæ atrocioris *Defuncto*
illatz exemplum Monachos illos præbuisse dixerim, qui ob
Bibliothecam sibi promissam quidem, sed alteri deinceps
legatam, elogium ex marmoreo monumento promissori de-
stinato eradere curarunt. Erat nempe *Prosper Podianus*, Pe-
rusia Italus, Jctus egregius Bibliothecæ possessor egregiæ,
quam cum vivens Monachis quibusdam promississet, testa-
mento

mento autem alteri legasset, monachi se iudicatos videntes, inscriptionem antea in donationis ejus memoriam factam amplissimam deleverunt, relictis solis literis hisce tribus D. O. M. i. e. *DEO Optimo Maximo*; quas vero faceti quidam ingenii vir exposuisse fertur h. m. *Daturis Opes Meliores.* conf. *Jan. Nicius Pinacoth, P. 3. c. 27. & Lud. Jac. à S. Carolo de Biblioth. c. 28.*

§. XLIII.

Legibus quin Bibliothecæ, præsertim publicæ, communiendæ sint, nemo nisi haud æquus adeo resultantium ex iis commodorum æstimator in dubium vocaverit. Hinc etiam plerisque hodie Bibliothecis leges suas esse negari nequit: Sane Altdorfinam quoque nostram Bibliothecam legibus haud carere Studiosis credo quamplurimis satis erit perspetum, quas inter primam primo cujusvis ejus spectatoris animo probe infigendam juvat heic producere: Daß man mit Bücher leihen den Herren Studiosis ex Bibliotheca Academica an sich halten soll; es habe dann der Entleher versprochen / einen Autorem in dieselbe zum Gedächtnus / vor seinem Abzug / zu hinterlassen. Consonum quoque fuerit Decretorum Bibliothecæ Ferdinando-Albertinæ in Arce Ducali Beveren. A. C. 1645. fundatæ & A. 1668. renovatæ heic commemorasse: Nos FERDINANDVS ALBERTVS DEI Gratia Brunovicensium Dux Luneburgensiumque sancivimus, ut (1.) Nostri, nec alius quisquam, hanc possidendo Bibliothecam, heredes eam non dividunt. (2.) Cui prima inspectione ostenditur, Librum in æternam sui memoriam, lubenti animo, quicquid sit, donabit. (3.) Nemini libros, codices, picturas, artificia & id generis alia, ex ea auferendi, extrahendi, alioque exportandi, nisi licentia possessoris, facultas esto. (4.) Si quis secus fecerit, libros partemq; abstulerit, extraxerit, clepserit, rapserit, concerpserit, corruperitq;, maledictus, perpetuo execrabilis, semper detestabilis esto, maneto.

§. XLIV.

Quod corpori humano est anima, id merito Bibliothecæ est *Index*: uti enim sine anima corporis membra
functio-

functiones suas peragere nequeunt, ita sine Indice Studio-
rum in usum Bibliotheca transire haud potest. Neque vero
vel multitudo librorum, vel materialium varietas, vel indi-
cis amplitudo, vel quotidiana Bibliothecæ incrementa ali-
quem deterrere ab ejus confectione debent, quippe metum
hinc forte oriturum justa tum temporis, tum ordinis, tum
laboris observatio, facile possunt depellere.

§. XLV.

In confectione Indicis Bibliothecæ sedulo cavendum est, ne
uni alterive Autori Liber aliquis, sub alieno, & nonnun-
quam ex initialibus duntaxat libri verbis titulo conflato, ad-
judicetur. Quale quid in *Altaempensis Bibliothecæ Catalogo* se
observasse, *Job. Mabillon* & *Michaël Germain* in *Muse. Ital.*
Tom. 1. pag. 79. tradiderunt, verborum ambitu seq. Cùm Bi-
bliothecæ Altaempsis Indicem revolveremus, occurrit in illo
Indice *Ciceronis liber de Republica*. Illico exfiliit animus
lecto titulo præclari operis, quod jam dudum excidisse cre-
ditur. Sed breve gaudium fuit, cum viso codice designato,
advertimus, hoc opus nihil aliud esse, quam *Philippicam pri-
mam Ciceronis*, quæ ab his verbis incipit: *Antequam de Repu-
blica, Patres Conscripti, dicam, &c.* quæ prima verba occasio-
nem dederunt Indicis Auctori non satis accurato, ut *de Repu-
blica inscriberet Orationem* illam, quæ titulo in Codice carebat.
Exstabat Opus illud Ciceronis ad tempus *Gerberti*, testante
ejus Epistola LXXXVII. ad *Constantinum Scholasticum Flo-
riacensem*; cui svadet, ut iter ipsius comitentur Ciceronis
opuscula; *de Republica* & *in Verrem*, & *quæ pro defensione mul-
torum plurima Romane eloquentiæ parens conscripsit.*

§. XLVI.

*Triplicem Bibliothecæ Alteriana Catalogum à Carolo Car-
thario Urbevetano concinnatum quò magis audio deprædi-
cari, eò vehementius doleo, meis hucusque oculis non
fuisse subjectum. Bibliothecam certe pretiosissimam non
minus ac elegantissimam Indici quin accuratissimo materiam
præbuerit amplissimam, in magna quæstione habere nolo,*

E

præ-

præfertim si animum meum ad alia refero ab eodem insignif-
 fimo viro in salivam eruditorum emissa opera exasciatissima.
 Interea illustrando aliquatenus huic argumento futura exi-
 stimo, quæ in paulo ante citato Museo Italico pag. 55. n. xxvii.
 annotata licet reperire: In Bibliothecam Alterianam jussu emi-
 nentissimi Cardinalis, quæ Palatii & Bibliothecæ auctor est,
 facilem ac liberum nobis aditum concessit vir eximia huma-
 nitatis *Petr. Dominicus de Jarento*, Abbas de labanis Massiliensis,
 Cardinalis auditor & Conclavista. Bibliothecæ elegantia Pala-
 tii dignitati non impar. Eam in ordinem redegit *Carol. Cartha-
 rius Urbevitanus*, Advocatorum sacri Consistorii Decanus, &
 Apostolici Tabularii Arcis sancti Angeli Præfectus. In præ-
 fatione ad *triplicem Bibliothecæ Catalogum* describit Palatium &
 Bibliothecam. Utriusque architectus *Job. Antonius de Rubeis*.
 Longitudo Palatii palmis octoginta sex cum dimidio constat:
 latitudo palmis quinquaginta tribus cum dimidio: altitudo
 palmis triginta & amplius. *Bibliotheca in summo sita est*, ad
 quam lux per fenestras decem ab oriente & septentrione se in-
 fundit, australibus ventis, qui libris obnoxii sunt, interclusis.
 Duo sunt pluteorum ordines, inferior ac superior. Inferior
 viginti quinque pluteis distinguitur, quorum unumquodq;
 in septem loculamenta dividitur: superior, ad quem per sca-
 lam secretiorem fit ascensus, totidem plutea continet, sed re-
 ceptacula librorum tantummodo sex, ad quæ pergula du-
 ctum præbet. Utriusque ordinis plutea pilastidæ distin-
 guunt, quibus volumina manu descripta & pretiosiores co-
 dices reconduntur. Inter alia illic asservatur *Instrumentum*
Johannis Arch. ep. scopi Raveunatis, scriptum in charta Ægyptiaca.
 Multa ex hac Bibliotheca collegimus. Ita *Mabillon* & *Ger-
 main d. l.*

§. XLVII.

Patulas esse Bibliothecas, si non singulis, certis saltem in
 hebdomade diebus, è re magis fuerit literaria, quam Gynæ-
 cei ad instar sacri semper obseratas: Bona enim illa excel-
 lentiora sunt, ait *Petr. Castellanus*, majorique laude digna,
 quæ omnibus communia sunt, quam de quibus omnes nos
 parti-

participant. Ideo operam dabit Respublica, ut Bibliothecæ instituantur, quæ multitudine ac varietate, in publicum prodesse possint. Publicæ quippe Bibliothecæ non debent esse, instar carcerum, occlusæ, neque libri catenis, ceu captivis alligati: quod ipsum *Anonymus* quidam in treugemeineter Erinnerung / eine öffentliche Bibliothek anzurichten / zu erhalten / und zu verbessern germanice protulit h. m. *Publicæ Bibliothecæ* sollen nicht versperret seyn / wie die Gefängnißen: es sollen die Bücher nicht darinn an Ketten / wie gefangen ligen / zu dem Ende / daß sie niemand besuchen solle. Sane ita juxta *Remi* viri clarissimi effatum æquissimum, habendæ sunt Bibliothecæ, ne sepulchrorum ritu perpetuo claudantur. Non enim tantus eruditionis & sapientiæ thesaurus, in tenebris atque hominum ignoratione latere debet, sed proferendus est in lucem atque in conspectum omnium, ad laudem divini Numinis & Christiani Nominis, Patriæ commodum, salutemque & utilitatem publicam. Hinc etiam teste *Politico*, *Anonymo* quidem eo, in modo commemorato Tractatulo germanico: *Wer Kunst und Bücher verhelet / der thut jederman unrecht: dann er verbirget nicht / was sein ist / sondern was jederman zuständig ist.* Primus certe ad Eruditionem gradus est, cognitionem habere optimorum librorum, & bonorum autorum, cum selectissimis commentariis, emendationibus & indicibus. *Modis igitur omnibus annitendum, ut hac in parte Studiosæ Juventuti abunde satisfiat, ne illi deesse videamur, sed ut ad solidam scientiam à teneris parandam, adjuvari possit. Quamobrem, uti; antiquum juxta proverbium, Musarum janua omnibus sunt aperta, ita*

Bibliotheca patens sit, nec claudatur honesto.

§. XLVIII.

Fructus, qui ex genuino Bibliothecæ bene adornatæ usu percipi potest, non tantum oppido est insignis, sed etiam certissimus ac multo jucundissimus. Ut enim de Polymathia nihil dicam, quæ ex sedula & accurata librorum lectione pronò quasi alveo, in Philomathes derivatur, unde amabo facilius fundamentalis Autorum notitia, ex eaque solidior

OK Tha 12

emergens eruditio comparatur, quam ex assidua Bibliothecæ versatione, ac in succum & sanguinem quasi conversione, hodierno maxime seculo librorum cognoscendorum avidissimo, quo non amplius reperire licet tale hominum genus, quale Sylvester Czecanovius in dialog. de corrupt. morib. utriusq; partis, Pontificiorum videlicet & Evangelicor. pag. 115. suo tempore extitisse conquestus est, qui si librum in mensa vel in scamno eruditum videbant, se putabant ignem infernalem, si doctum virum ac probum, conscientiae suae male carnificem cerere. Nimirum uti ex Pyrite crebrioribus ictibus chalybi alliso ignis scintillæ exsiliunt, ita Bibliotheca quò diligentius excutitur, eò plus doctrina inde elicitur.


TANTUM.



WOM

111





Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

